



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

VIII. De subdiaconis & diaconis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

vel ex  
monaste-  
rio,

vel ex  
mendici-  
rate pre-  
tendo.

tulis *patrimoniorum*, vel *penſionum*, niſi epiſco-  
po e re videretur eſſe eccleſiæ. Atque hoc  
modo *beneficium regulam*, *patrimonium exceptio-  
nem* eſſe voluit, ſanxitque ad exemplum <sup>2</sup> ne  
quis ordinetur præter neceſſitatem, & ut ordi-  
nati certæ eccleſiæ affigantur, a qua ſine venia  
epiſcopi recedere non poſſent <sup>3</sup>. Sed in Fran-  
cia *titulus patrimonialis* eſt tritiſſimus. Regu-  
lares quidem per plura ſæcula non niſi ad cer-  
tam eccleſiam ordinati ſunt; ſed noviffimis  
temporibus vota monaſtica inſtar *tituli* eſſe  
cœperunt, quum monachi alendi ſint in mona-  
ſteriis: & mendicantibus *tituli* loco fuit ipſa  
paupertas ſeu poteſtas ubique mendicandi im-  
pune. In minoribus ordinibus titulus haud  
deſideratur, quum vinculum eorum revoca-  
ri poſſit.

1) *Seſſ. 21. c. 2.* 2) *Conc. Chalced. c. 6.* 3) *Seſſ. 23. ref. c. 6.*

3. Recita-  
tio S. of-  
ficii.

IX. QUUM autem clerici majores  
omnes ad miniſterium eccleſiæ ſint deſtinati;  
precibus ſaltem, ſi aliis officiis deſtituuntur,  
litare debent. Unde reſultat obligatio ad re-  
citandum officium: qua de re parte altera con-  
ſultius videtur agere <sup>1</sup>.

1) *Cap. 11.*



CAP. VIII.

DE SUBDIACONIS ET  
DIACONIS.

I.

Subdia-  
conorum  
ordinan-

SUBDIACONUM oportet eſſe in omnibus  
ordinibus minoribus exercitatum, viginti  
& uno

& uno annis majorem; ad officium idoneum; testimonii præceptorum ac pastoris munitum; continentem<sup>1</sup>. Ordinationem ejus trina præcedit publicatio, ut appareat, num *sponsam* habeat, num *voto* constringatur incompatibili, num *are alieno* prematur, vel aliunde irregularis sit? *Ritual. Roman.* Hæc proclamatio fit e cathedra Ecclesiæ parochialis, veluti nubentium, trinis diebus dominicis consecutivis. Si ad *titulum patrimonii* ordinandus est, ejus quoque mentio facienda, ad evitandas fraudes,isque ab Episcopo adprobandus, qui ejus alienationem sub pœna censuræ Ecclesiasticæ prohibet, donec beneficio Ecclesiastico maectatus sit. Proclamationes autem singularum ordinationum fiebant. Præter explorationem, quam rector suscepit, Episcopus quatrduo ante ordinationem vel ipse vel per presbyteros, legis divinæ & sacrorum canonum peritos, ordinandum examinet<sup>2</sup>. Novissime in pluribus diocesibus receptum est, ut ordinandi paullo ante commorentur per aliquod temporis spatium in seminario. Atque hoc quidem omnibus ordinibus commune est.

1) *Concil. Trid. Sess. 23. ref. c. 5. 7. 8. 12. 13.*

2) *Concil. Trid. Sess. 23. c. 7.*

II. DIE ordinationi præstituto, minoribus ordinibus jam collatis, advocantur ii, qui *subdiaconi* fieri debent, suo quisque nomine ac titulo. Alius titulo hujus vel illius *Ecclesiæ*, e qua sustentandus est; alius titulo sui *patrimonii*; alius, si sit monachus, titulo hujus vel illius ordinis; alius titulo *paupertatis*. Prin-

Ritus ordinationis ex pontific. Rom.

cipio Episcopus eos animadvertere jubet, quanto se submittant oneri. *Hactenus*, inquit, *liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sacularia vota transire; quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire; sed Deo, cui servire, regnare est, perpetuo famulari & castitatem, illo adjuvante, servare oportebit; atque in Ecclesie ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est, cogitate, & si in sancto proposito perseverare placet, in nomine domini accedite.* Posthac adpropinquant simul presbyteri & diaconi ordinandi, cunctisque simul humi prostratis, Litania cantatur, omniumque sanctorum suffragia ordinandis conciliantur.

**officium,** Relevatis ac genibus subnixis subdiaconis, Episcopus præcipit officiorum seriem, quæ sunt, ut diacono serviant, aquam ad altaris ministerium necessariam præparent, eucharisticas mappas & corporalia lavent, & quidem seorsim, sordesque in baptisterium conjiciant. Præterea subdiaconus diacono *calicem* quoque & *patenam* sacrificaturo porrigit, tantumque panis altari imponit, quantum populo sufficit, ne quidquam, quod corrumpi potest, in sanctuario remaneat. Atque hæ sunt functiones subdiaconorum, quas indicat *pontificale Romanum de ordinat. subdiac.* Quisquis vasa sacra aut mappas, eucharistiam contingentes, attingere vel tractare vult, eum ad minimum subdiaconum esse oportet.

**hodie.**

III. POSTHÆC Episcopus subdiacono porrigit *calicem vacuum* una cum *patena* ceterisque ad officium ejus pertinentibus or-

namentis, librumque Epistolarum, cum facultate eas prælegendi in Ecclesia. Hodie officium eorum fere restrictum est ad altare, ut in solemnibus pompis Episcopo vel presbytero adsint. Olim Episcopis fuere a secretis, consiliis, missionibus, negotiationibusque, administrantes bona Ecclesiæ & eleemosynas erogantes; ut extra Ecclesiam fere facerent, quæ sunt diaconorum propria.

IV. DIACONORUM origo patet ex Diaconus quo ritu ordinatur. *Act. VI.* iisque semper usa est Ecclesia. Ordinantur, ut presbyteri, manuum impositione & suffragante populo. Principio archidiaconus ad Episcopum adducit candidatum, asseritque, Ecclesiam hunc velle fieri diaconum. Cui Episcopus: *Scis, illum dignum esse?* Ille: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & restifcor, ipsum dignum esse ad hujus onus officii.* Tum Episcopus, Deo actis gratiis, ad clerum ac populum conversus, *auxiliante*, inquit, *domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo, elegimus hunc presentem subdiaconum in ordinem diaconii. Si quis habet aliquid contra illum, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat; verum tamen memor sit conditionis suæ*<sup>1</sup>. Hæc apostrophe refert pristinum morem, quo cleri plebisque consensu ordinationes peractæ. Licet enim Episcoporum semper ordinationes propriæ fuerint, nec ad eas *Laicorum* consensus sic requiratur, ut ejus defectus ordinationem faciat irritam<sup>2</sup>; utilis tamen ille est ad certam probitatis ordinandorum scientiam. Cujus rei gratia hodieque *proclamationes* fiunt

& examina præmittuntur. Præter hæc tamen saluberrime constitutum est, ut in ipso *ordinationis* actu coram Ecclesia inter rogationes fiant, quo tanto certiores fiant Episcopi, neminem esse, qui ipsis quidquam exprobrare possit.

1) *Pontif. Roman. de ord. diac. p.42.*

2) *Concil. Trid. Sess.23. c.41. c.7.*

quid sit  
ejus of-  
ficium;

V. HIS præmissis ad ordinandum orationem convertit Episcopus, eumque his verbis alloquitur: *Cogita magnopere, ad quantum gradum Ecclesia ascendis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare. Diaconi Levitis surrogati sunt, tribus & hæreditas domini. Custodiunt enim portantque tabernaculum; hoc est, defendunt contra hostes invisibiles, ornantque Ecclesiam doctrina & exemplo. Integerrimi sunt, quippe comministri & cooperatores corporis & sanguinis domini, Evangeliumque annuntiantes. Sequuntur preces, quibus inter alia ait Episcopus: Nos quidem, tamquam homines, divini sensus & summa rationis ignari, hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, domine, que nobis sunt ignota, non transeunt; Te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium. Tu hujus vitam caelesti poteris examinare judicio, quo semper prævalet & admissa purgare, & ea, que sunt agenda, concedere. Denique manum capiti ejus imponit, dicendo: *Accipe spiritum sanctum ad robur & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.* Postremo cum ceteris ornamentis ei tradit librum Evangeliorum.*

VI. HÆ formulæ videntur innuere, Miniftra-  
re ad  
mensam;  
eamque  
diaconi functiones ad solum altare restringi,  
quo hodieque restringuntur; quamvis olim  
latius patuerint. Constat quidem, primos  
diaconos mensarum ministros fuisse<sup>1</sup>. Men- vel sa-  
cram vel  
commu-  
nem.  
sæ vero in cœtu Hierosolymitano duplicis ge-  
neris fuere. Mensa scilicet sacra ad consecra-  
tionem & distributionem Eucharistiæ, & men-  
sa profana, ad quam corpus curabatur. In  
ista enim rerum communione id cuiusque pro-  
prium fiebat, quod Apostolorum jussu eroga-  
batur. Quod, quum singulis diebus fieri de-  
beret, Apostoli diaconis commiserunt. Exem-  
pla tamen Stephani & Philippi<sup>2</sup> docent, dia-  
conos principio baptismum quoque admini-  
strasse & verba ad populum fecisse. Successu  
temporis his officiis rarius & dumtaxat vice  
Episcoporum & presbyterorum functi sunt.

1) Act. VI. 2. 2) Act. VI. 10. 2. 5.

VII. DUO ergo fuere officiorum ge- Unde du-  
plex offi-  
cium: al-  
terum in  
Ecclesia;  
nera. In Ecclesia ad *altare* ministrarunt, quod  
etiamnum faciunt, assistentes Episcopo vel  
presbytero sacrificaturo, simulque cum eo Eu-  
charistiam distribuentes; populum inter oran-  
dum admonentes, quando in genua procum-  
bendum, quando surgendum: quando ad Eu-  
charistiam vel accedendum, vel recedendum;  
quem quisque locum habere debeat; impe-  
rantes silentium, modestiam, discessumque  
post sacra<sup>3</sup>. Exstantior est hæc admonitio po-  
puli in liturgiis græcis. Posthæc pars hujus  
oneris ad *ostiarios* & *subdiaconos* est devoluta.  
Episcopo concionaturo vel alia agenti assiste-

runt, antequam *acoluthi* instituerentur. Sæpe Catechumenorum institutio iis fuit demandata<sup>2</sup>. In casu necessitatis baptizarunt, jussuque Episcopi ad populum verba fecerunt. Atque hodiernum diaconorum est, ad populum differere, evangeliumque publice prælegere.

1) *Concil. Ancyran. c. 2. Carthag. IV. c. 38.*

2) *August. de Cathechiz. init.*

extra Ecclesiam  
alterum.

VIII. EXTRA *Ecclesiam* diaconorum fuit, bona Ecclesiæ administrare & eleemosynas facere<sup>1</sup>. Acceptas a fidelibus oblationes ex nutu Episcopi distribuerunt pro *necessitate* communi. Observarunt fideles, & si qui contentiosi essent, palamque peccarent, eos Episcopo indicarunt. Mandata Episcopi ad presbyteros vel Episcopos alios, locis diffitos, pertulerunt, Episcopi in itinere comites. Ut his laboribus pares essent, eligebantur in ea ætate, quæ robur corporis cum judicii maturitate conjungit, triginta vel triginta quinque annos nati: quamvis hodie sufficiat, habere viginti tres, unumque in subdiaconatu exegisse. Ad exemplum Ecclesiæ Hierosolymitanæ olim in singulis Ecclesiis non nisi septem fuere diaconi, ut efformarent imaginem septem spirituum, qui sunt coram throno Dei<sup>2</sup>. Unde minorem clericorum numerum augeri necesse fuit. Diaconorum princeps *archidiaconus* audit, cujus insignis fuit auctoritas; qua de re *cap. 19.*

1) *Baron. ad an. 34. v. 227.*

2) *Tob. XII. 15. Apoc. I. 4.*



IX. FUERUNT etiam feminæ diaconis. Diaconis.  
sæ.  
Hæ fuere viduæ ex cœtu Deo devotarum electæ, omnium piissimæ, majoresque annis LX. Succenturiabantur ex diaconis ratione eorum, quæ feminis præstanda erant, quæque a viris salvo pudore præstari non poterant<sup>1</sup>. Floruerunt autem inde a temporibus Apostolorum ad minimum usque ad sæculum VI.

1) 1 Tim. V. 9. Concil. Epaun. an. 517. c. 21.



C A P. IX.

D E P R E S B Y T E R I S.

I.

PRESBYTERUM oportet annum unum in Presbyteri  
dotes  
diaconatu exegisse, majoremque esse XXV. olim XXX. annis<sup>1</sup>. In ætate magis spectabatur tempus, quod in minoribus ordinibus exegerant, & si qui eligendi essent, prudentissimus quisque, fortissimus, fideique plenissimus & spectatissimæ probitatis sumebatur. Et quamvis hodie remissiores simus; interstitia tamen in *sacris* ordinibus strictius, quam in *minoribus*, observantur, quæ Episcopi, sine causa, coarctare prohibentur<sup>2</sup>. Examen huic ordini præmitti solet rigorosius, quia ordinandus idoneus esse debet ad monstandam populo viam salutis & ad sacramenta dispensanda. Sed nulla re magis presbyterorum virtutes functionesque patescunt, quam ritu *ordinationis*.

1) Concil. Neocæs. c. 2. Siric. ep. 1.

2) Concil. Trid. sess. 23. ref. c. 14.